



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. Quis sit primò essentialis conceptus Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

& non intelligatur prius per modum directi actus, & postea per modum reflexi: redit ergo tota difficultas, quid noscatur per illam notitiam directam? Tum quia, ea proportionem habet se obiectum ad notitiam speculativam, quâ proportionem habet se intellectivum ad volitivum, sed intellectio præcedit volitionem ratione nostra, ergo & obiectum præcedet notitiam intellectivam. Quod autem est hoc obiectum in presenti?

OBJICITUR 1. Autoritas S. Tho: agnoscens inter esse Dei & intelligere identitatem, cui confirmat D. Aug. 15. de Trin.

RESPONDETUR potest, totum id procedere in sensu reali, & pro statu physico; non autem pro statu abstractionis: vel verificari de Deitate prout natura est, non prout est Essentia. Quod autem dicitur hominem esse imaginem Dei secundum ultimam differentiam; id intelligendum est non ex parte prototypi, quasi ejus ultima differentia sit intellectio, sed ratione imaginati, cujus differentia ultima, saltem in ordine ad nos, est intellectivum simile Divino, vel ad maximum etiam prototypi est hæc ultima differentia, in ratione imitabilis à creatura.

OBJICITUR 2. Essentialis Dei conceptus debet esse formalitas Deitatis perfectissima; jam autem intellectio est talis formalitas: nam etiam intellectio in creaturis est formalitas perfectissima.

RESPONDETUR. Ex limitatione creati modi essendi, proficiscitur, ut intellectio sit prædicatum perfectissimum in creatis; DEUS autem illimitatissimus potest habere prædicatum perfectius.

OBJICITUR 3. Nisi ponatur primo essentialis Dei conceptus stare in Intellectione, non poterit salvari, cur Processio verbi sit generatio?

RESPONDETUR. Negando sequelam propter dicenda infra D. 9. N. 219. Succus in hoc est, quia generatio debet esse in similitudinem naturæ, natura autem, ut innui, est intellectio: quia illa in re, est principium primum motus in Divinis adeoque natura. Quia verò persona verbi est etiam intellectio passiva, ut ita dicam; sit, ut illius processio sit in similitudinem naturæ, quæ ut dixi, est intellectio.

Ad hoc etiam salvandum, quod Deus sit beatus, non est necesse ponere intellectionem pro primo essentiali conceptu; sed tantum quod ille necessario cognoscat primo essentialem suum conceptum & in eodem radicata.

DIFFICULTAS I.

Quis sit primo essentialis Conceptus DEI?

PRÆMITTO 1. *Distincta esse hæc tria; Quidditas, Essentia, Natura; quamvis in re hæc*

idem sint. Nam idem dicitur esse quidditas, quia per illud respondetur ad questionem, Quid est? dicitur Essentia: quia est ratio essendi, dicitur Natura: quia est primum principium motus & quietis.

PRÆMITTO 2. *Hæc duas formalitates, præcipue ad præsens, Natura, & Essentia, etiam in DEO distinguere posse:* cur non enim? si enim dicta non sunt idem ut sic, & in creatis, cur in Deo, eundem rationem nostram indistinguibilia?

PRÆMITTO 3. *Quid sit natura Divina?* Facile est respondere, quod sit ipsa intellectio: est enim primum principium motus in Divinis adeoque natura. Sed in super necesse est explicare, Quis sit primo essentialis conceptus Deitatis sub formalitate Essentiæ?

Neque valet si dicas, hæc duo non discerni consideratione in aliis materiis, non inquam valet, si id dicas. Tum quia, sicut non valet consequentia à negatione primo essentialis conceptus tot & tot creaturarum, ad negandum primo essentialis conceptum Dei; Ita nec valebit à negatione talis modi formandi conceptus creaturæ, ad negationem itidem talis modi formandi primo essentialis conceptum DEI. Tum quia, ipsa amplitudo & illimitatio noscibilitatis Divinæ, ut dixi supra, adjuncta doctrinâ facerem, dat vires eum investigandi. Tum quia, de facto definitiones aliquæ procedunt per prædicata physica, seu naturæ, ut cum dicitur homo est constans corpore & anima rationali unitis; vel per principia Metaphysica, ut cum dicitur homo est animal rationale, ubi ut vides, duplex formatur primo essentialis conceptus hominis per prædicata naturæ, quæ Physica considerat, & Essentiæ, cur ergo idem in presenti non faciemus? *His præmissis*

DICENDUM EST. *Quod primo essentialis conceptus Dei sub formalitate Essentiæ, adeoque definitivus Dei, sit, quod Deus sit Esse, seu Essentia perfectissima in genere Essentiæ.* Dixi, quod Deus sit Essentia non tantum perfecta sed perfectissima: nam nisi addatur ly perfectissima, nullam haberet condistinctionem sui Deus cum creaturis: nam nulla est, quæ non sit perfecta in genere Essentiæ: nihil enim illi deest, ad suum essendi modum. Non dixi, esse perfectissimum in omni genere Entis: quia ratio Entis importat etiam attributa; quæ jam sunt à primo essentiali conceptu exclusa. Non dixi, Ens perfectissimum, sed Essentia perfectissima: quia ex triori jam Philosophia, Essentia est genus immediatius quàm Ens. Nec obest, quod interdum Ens sumatur pro genere ad definiendum Substantiam & Accidens: sæpe enim sumitur & ipsum Esse, quod potest capi pro Essentia, commodumque erat in definitione accidentis ponere potius Ens quàm Essentiam, eo quod Essentia, ut plurimum, supponat pro Substantia, quæ non intrat rationem Accidentis. Immo assumendo non

Ens,

Ens, sed esse ad definitionem, accommodamus nos ipsi Divinae, qui se definiunt; Ego sum qui sum. Dixi, Esse perfectissimum in genere Essentiae, non Existentiae. Quia apprehendimus Existentiam per modum posterioris, & accidentis Metaphysici, si comparatur Existentia ad Essentiam.

Ex quo etiam inferes, Cur necessitas existendi non sit de primo essentiali conceptu Dei?

PROBATUR 1. Auctoritate Patrum qui fundentes se in praedicta definitione Deitatis, à Deo ipso data, non raro dicunt Entitatem Divinam complecti omnem perfectionem, quae verba illorum cum non possint intelligi de complexu etiam attributorum in Essentia; intelligenda erunt de complexu omnis perfectionis Essentiae. Pro hac sententia citari potest Damascenus lib. 1. de fide c. 12. *Universum enim id, quod est tanquam immensum quoddam & infinitum essentiae pelagus complexu suo continet (supple) DEUS.* Idem docet S. Dionysius, c. 3. de Divinis nom. *Non quoque pacta Deus est Ens, sed simpliciter incircumscribitur totum in se esse, pariter ambiens & perveniens.* Similia habentur c. 5. *Non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est.* Quod etiam spectat aucto. S. Tho. hic, quaest. 3. a. 4. Et 1. contra gen. c. 27. & 28. & de potentia q. 7. a. 2. ubi docet Divinam essentiam consistere in suo esse, quod continet totam virtutem essendi. Imò posito quod sit possibilis creatura perfectissima, nondum tamen illa esset DEUS: quia non esset Essentia perfectissima in genere Essentiae, alias non deberet determinari, ad esse Essentiae creatae.

PROBATUR 2. Formalitas alicujus Entis, quae est in illo prima, & radix reliquarum, est primo essentialis conceptus; sed Essentia perfectissima in ratione essendi est talis in DEO formalitas; Quod ipsum prob. Illa formalitas in DEO est prima & radix reliquarum, quae est ultimum resolutorium omnium interrogationum, de Divinis perfectionibus institutibilium, sicut, quia rationalitas in homine est tale resolutorium, est etiam in illo formalitas illa prima, & radix reliquarum. Et certe ultimum resolutorium, ex eo, quia ultimum est, debet esse in ordine inverso primum; & quia est resolutorium, debet esse radix reliquorum: Quia resolutio debet esse in principia, saltem radicem importantis; sed Essentia perfectissima in genere Essentiae est ultimum resolutorium interrogationum formatibilium de DEI perfectionibus: si enim quaeratur v. g. quare sit Deus creator? respondetur, quia est omnipotens, quare est omnipotens? quia est à se, debetque habere omnem plenitudinem potentiae agendi indeterminatam; quare, quare debet habere ipsam plenitudinem agendi indeterminatam? Respondetur,

quia illi convenit omnis infinitudo agendi, & omnis excellentiae: Quares, hoc ipsum quare illi conveniat? quia scilicet est Essentia perfectissima in genere Essentiae, cui reliqua vel tanquam potentiae agendi ad extra, vel tanquam principia agendi ad intra, &c. competere debent.

PROBATUR 3. Quo solo sublato per locum intrinsecum directè & formaliter tollitur Deus, illud est primo essentialis conceptus Dei, ad eum modum quo animal rationale est tale, ut illo sublato, formaliter & directè, tollatur homo, estque illud animal rationale primo essentialia hominis, non autem risibile, non esse productum, &c. Sed tale praedicatum in DEO, est Essentia perfectissima in genere Essentiae, Quod ipsum sic ulterius declaratur. Si servetur in homine animal rationale, habetur radix, ex qua se restituere possit, ut sit risibile, ut possit produci, &c. similia: sicut servata forma ferri, & inducto illi calore, servatur radix, per quam se restituere possit ad frigus. Unde & ferro forma illius, & animal rationale homini, est primo essentialia; ita etiam aufer à Deo omnipotentiam, aufer non esse producti, serva illi quod sit Essentia perfectissima in genere Essentiae, habebit Deus radicem restituendi se in pristinum.

OBJICES. Quod per dictam explanationem nihil explicetur. Quod ipsum probatur; Quia illa Essentia perfectissima in genere Essentiae, vel accipitur pro esse Essentiae creatae, vel increatae. Si dicatur secundum, nihil explicabitur: Erit enim sensus, quod Deus sit Ens perfectissimum in genere Essentiae Divinae. Si dicatur primum, ergo adhuc nihil explicabitur de Deo: quia ille non potest constitui per aliquid creatum primo essentialiter.

RESPONDETUR. Quamvis dicatur, quod ratio Essentiae perfectissimae supponat in re, pro Essentia Divina, sufficit quod non supponat quo ad modum significandi; Sicut ipsa definitio non dicit aliquid ultra ipsum definitum, quamvis ex modo significandi dicat aliter. Dicit etiam posset sumi hic Essentiam abstrahendo à creatae, & increatae, & quae quando conjungitur cum ratione perfectissimae, tum primum importet formalitatem Dei.

INSTABIS. De hoc ipso quaeritur; Quisnam sit primo essentialis conceptus Entis perfectissimi in ratione Essentiae? RESPONDETUR. Idem quaeri posse, quis sit primo essentialis conceptus animalis rationalis? Quod si dicas, impertinentem esse ulteriorem quaestionem, eò, quod responsio fiat per definitionem, cujus illegitimitas aliunde non probatur, nec est adferre in homine aliquam formalitatem priorem; idem in praesenti de dicto conceptu innotet. Quomodo autem salvari possit processio verbi, dictum supra, & alibi dicitur.

QUAE.

R. P.
H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tom. I. c. Z.
D. VI